DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS

EXAMEN INFANTUM AEGROTANTIUM,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
pro
Doctoris Mediciaae et Chirurgiae Laurea
RITE ET LEGITIME OBTINENDA
in celeberrima
ACADEMIA JOSEPHINA,
publicae disquisitioni submittit

Wenceslaus Procopius Paul,
Čechus Litomisliensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Junii anni 1843.

Vindobonae.
Typis Caroli Ueberreuter.

Man verlangt von einem Arzte Unmögliches; Todten das Leben wiedergeben, Abgelebte blühend zu machen: das ist es was man von einem Arzte verlangt; und bedarf man dann nicht seiner, so verspottet, und tadelt man ihn. —

Arme Medicin! Arme Aerzte!!!

Voltaire.

PARENTIBUS OPTIMIS

gratissimus filius.

Praefatio.

Pagellae sequentes continent examen infantum aegrotantium, et quidem tractamen in genere solum, dum perbreve temporis spatium, huicce opusculo necessario elaborando concessum, non permiserat, latius, uberiusque hocce thema etiam modo speciali pertractare; et certam nutrio spem, alium collegam post me huncce tractatum cum examine infantum speciali ampliaturum fore. Invenies porro benevole lector! in hoc libellulo differentias organismi infantilis ab illo adultorum, respectu anatomico, aeque ac physiologico, et deinde peculiaritates, quibus organismus parvulorum ab illo adultorum differt, quae necessario proferre censebam, ne dein in tractamine infantum aegrorum quidpiam pro symptomate aut morbo habeatur, quod solum momentum sistit physiologicum.

Definitio.

Sub examine aegrotantium — sensu latiori — omnes intelligimus interrogationes et explorationes circa ea, quae cum morbo praesente vel in immediata, vel mediata quadam relatione versantur; etenim finis hujus examinis est, eruere quaelibet phaenomena, et circumstantias, quae ad genesim et naturum mali praesentis aliquam symbolam contribuere videntur.

Spectat autem profecto ad gravissima a medicis practicis praestanda officia: Examen infantum aegrotantium.

Dignitas et necessitas hujus examinis.

Patescit luce clarius dignitas et necessitas, examen hoc in infantibus rite instituendi; insignis enim parvulorum teneritudo organismi, influxui rerum externarum tam multifario, aeque quam deleterio expositi, hisque stimulis in tenera aetate necdum assueti, per eminentiam vero, denegata tenellis per longum tempus facultas, sensationes suas morbosas verbis exprimendi; adcuratissimam status illorum morbosi perscrutationem exposcunt.

Verum quidem est, quod ex animi indifferentia, impatientia et aversatione certarum rerum externarum, in quas infantes instinctu quasi feruntur; ex clamoris, quem morbo adflicti edere solent, indole varia, atque ex mutationibus quibusdam, in corporis illorum habitu se manifestantibus, aliquem saltem valetudinis sinistrae statum suspicari liceat, vel aliis verbis, quod Semiotices studium medicis in genere sistat methodum usitatissimam, morbos infantum expiscandi; sed hocce studium Semiotices — e signis nimirum morborum ad eorum causas et naturam concludendi — unanimi voce fere omnium medicorum mancum adhuc et imperfectum est; quapropter etiam judicium de morborum infantilium natura, solis momentis semioticis superstructum, eo magis incertum et fallax non raro esse debet.

Adjuvant quidem medicum in gravi hoc officio perfungendo relata parentum et apprime matris, aut nutricis, aut obstetricis, aliorumve adstantium propinquorum; verumtamen sat crebro e dictis illorum vel parum, vel plane nil certi hauriri potest, quod subinde ignorantiae, aut referentium animi levitati imo et pravae interdum nutricum voluntati omni jure est adscribendum.

Facilitat itidem hoc medici negotium hic circumstantiarum concursus, utpote, quod morbi infantum te-

nellorum ob genuinam, sinceram, quae aegrotantibus hujusce generis familiaris est, animi conditionem, integerrimi, aut summe genuini se offerant, adflictorum scilicet sensationibus optime respondentes; etenim nil alieni, a prava voluntate derivandi, admixtum illis adparet, dum in adultis eadem ipsa ex causa vera praesentis morbi imago non raro stupendum in modum deturpetur. — Quibus adde, quod praestandae morborum infantilium curae auspicatae haud parum faveat propensio illa intima, aut potius amor ille instinctualis, quo feruntur parentes, et vel maxime mater in dilectissimos parvulos suos, quibus omnino impetratur, ut, quae ad morbum decumbentis pusilli contribuunt, momenta, ea parentibus vix unquam consulto reticeantur, verum utplurimum quam scrupulosissime recitentur, atque praescriptum a medico deinceps observandum vitae regimen, morbi naturae consentaneum, quam religiosissime observetur.

Adgravant porro — altera ex parte — diagnosim proinde et medelam morborum infantum, severioremque hacpropter in ea dirigendam medentium attentionem, sibi vindicant momenta sequentia, utpote: rapidus utplurimum et periculosus saepe morborum infantilium primo aspectu levidensium, decurrendi modus, horum, a parte nutricum stipendiariarum a primo exordio nonnunquam neglecta tractatio, pharmacorum hujusmodi decumbentibus usurpandorum difficilis admodum et operosa adplicatio, millena illa parentum, nutricum, obstetricantium etc. etc. tum ridicula, tum deleteria, quoad praecavendas aut profligandas pusionum passiones quam diversimodas in usum vocata, praejudicia, atque usus et abusus etc. remediorum domesticorum, quae adflictis parvulis propinari solent [1]).

Id demum quoque medici, tenellis medicinam facturi, ad scrupulosius, illorum aegritudines perscrutandas animum impellat oportet, quod hucdum deside-

retur institutum medico-clinicum, sanationi hujusmodi parvulorum apprime dicatum, in quo manum ducente dextero magistro, medituris et theoria et medendi methodus ad ipsos talium aegrotantium lectulos modo aeque scientifico, quam rationali traderetur.

De quo officio pergrave et necessario, exacte instituendi infantum aegrorum examen in genere persuasi medici, horum nonnulli stabiliendis momentis, ad quae lectulis homuncionum horum adstanti medico vel apprime attendendum, atque modo, quo in eruendo eorum statu morboso nonnunquam proteiformi, procedendum sit, haud non exiguam navarunt operam, viam hac ratione quodammodo assignando, a quovis medicorum, tenellis opem laturo, omnino sequendam. Magno encomio sub hoc respectu digni consendi sunt: Celeb. Prof. Ign. Rud. Bischoff, nob. de Altenstern; celeb. nob. a Raimann-[2]; Boer [3]; de Metzler [4]; Carus [5]; A. G. Richter [6]; S. G. Vogl [7]; Henke [8]; Meisner [9]; Billard.

[1] Grundsätze der practischen Heilkunde durch Krankheitsfälle erläutert, I. Bd. Prag 1823. S. 25.

[2] Franc. nob. a Raimann l. c. p. 22.

[3] Versuch einer Darstellung des kindlichen Organismus von Dr. Boer. Wien 1813. S. 111 etc.

[4] Sammlung auserlesener Abhandlungen über Kinderkrankheiten etc. Von Dr. von Metzler. Prag 1831. I. Bd.

[5] Gynäcologie von Dr. C. G. Carus. Leipzig 1820. II. Bd.

[6] A. G. Richters specielle Therapie. X. Bd. I. Supplementband; herausgegeben von Dr. G. Aug. Richter. Wien 1831. S. 133.

[7] S. G. Vogels Krankenexamen. Stendal 1796. S. 29.

[8] Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten von Dr. A. Henke. 2. Auflage.

[9] Die Kinderkrankheiten nach den neuesten Ansichten und Erfahrungen bearbeitet von Dr. F. L. Meisner. Leipzig 1828. I. und II. Bd.

Dessen: Forschungen des neunzehnten Jahrhundertes aus dem Gebiethe der Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. III. Theil. Leipzig 1826.

De differentiis organismi infantilis ab illo adultorum hominum.

Qui morbos infantum rite et auspicato cum eventu sanare cupit medicus; hic seriem peculiaritatum, quibus organismus infantilis ab illo adultorum vel essentialiter differt, et quae cum genesi natura et decursu morborum aegrotantium hujusmodi in nexu haud non intimo versantur, exactius nosse atque prae oculis habere debet, ne nimirum habeat subinde quidpiam pro symptomate, aut morbo, quod nonnisi momentum physiologicum est, talemque sciat opponere medelam, illorum malis, ut quae hisce differentiis organiciis omnino et consentanea sit.

Comparando structuram organismi infantilis cum illa adultorum, facile evincitur, omnia systemata et organa organismi infantilis in genere esse eo imperfectius evoluta, quo junior infans fuerit. — Singula itaque systemata quoad anatomicam illorum structuram perlustrando, patet: ossa teneriorum infantum esse magis cartilaginosa, ex defectu nimirum terrae calcareae et abundante materia gelatinosa in illorum miscela; hinc etiam deprehenduntur nimis flexibilia a causis tum ex-tum internis facile determinabilia atque ad morbos varios: rhachitidem, pedarthrocacem, distorsiones etc. maxime disposita. — Respectu partium mollium, musculi se exhibent molliores, teneriores, succulentiores, summopere irritabiles, ad convulsivos motus admodum dispositi. — Vasa sanguifera inveniri solent copiosiora, luminis majoris, parietibus teneriores; hinc sanguinis motus in infantibus rapidior, et turbae in vasorum systemate a causis levioribus facile excitandae,

explicari possunt. Nervi eorum sunt firmiores, verumtamen et sensibiliores, mobilioresque; inde reactio eorum prompta, verum nonnisi momentanea, brevi exhaurienda, atque ad congestiones versus caput, indeque facile evolvendam phrenitidem, hydrocephalum, haud parum disponens. — Cutis infantum solet esse mollior, tenerior, tractabilior; proinde ad se-et excretiones tum salutares tum morbosas habilior. — Textus cellulosus in illis abundans deprehenditur extensibilior, mollior, quibus rotunda corporis eorum forma, mollities et tractabilitas potissimum adscribenda.

Altiorem evolutionis organicae gradum in tenero infantum organismo prae se ferunt vasa lymphatica et glandulae, magna energia actionis vitalis instructae; inde dispositio magna ad illarum intumescentiam, inflammationem, scrophulas, atrophiam mes. — Memoratu digna est perfectior glandulae thymus, renum succenturiatorum atque hepatis in tenello infante efformatio, talis nimirum, ut dicta glandula thymus in foetu maxima, ut cum pulmonibus in nexum quemdam posita, humore insuper lacteo turgens, qua sufficiens subsecutae mortis causa interdum sit visa. — Renes succenturiati in neonatis, et natu minimis, renes ipsos magnitudine superant. Insignis voluminis in infantibus observatur hepar, in foetu et natu minimis maximam cavi abdominis partem replens, atque in medio hujus cavi collocatum, situm offert tunc temporis magis horizontalem, donec tandem, progrediente aetate, ad annum usque 15. in normalem suum hypochondrii dextri locum regressum fuerit, — Ventriculus econtra — in neonatis teneris admodum infantibus, situm agnoscit magis verticalem, fine suo inferiore ad umbilicum usque pertingens, successu temporis demum curvam suam directionem assumit. — Ipse etiam lien magis antrorsum et dextrorsum, infra costas spurias infimas manifeste palpandus, se offert, quum in adultis sanis nonnisi in

hypochondrio sinistro reconditus inveniatur. — Vesica urinaria in natu minimis e cavo pelveos ascendens supra pontem Veneris apprime, si urina distenta fuerit, vel ipsi visui se manifestat.

Ex hac anatomica organismi infantum exposita organorum ipsorum structura et dispositione relate ad illam adultorum, abunde patet: ea nimirum viscera et organa horum individuorum relative majori evolutionis et perfectionis gradu excellere, quae ad nutritionem et conservationem organismi ipsorum ceu pernecessaria novimus.

Organismum infantilem a parte physiologica perscrutando, e serie functionum illarum cardinalium, quae sunt: reproductio, irritabilitas, et sensibilitas, primam earum, reproductionem nimirum, in aetate infantili eo magis principatum obtinere, quo junior infans fuerit, a medicis confirmatum habetur, ita, ut merito affirmare liceat, in infante recens nato, imo ad medium usque annum provecto, reproductionem omnino praerogativam sibi vindicare, reliquos binos factores sub suum imperium redigendo; nutrimenti enim ad satiendam famen appetentia una cum nisu in quietem et somnum characteres sistunt generales organismi infantilis.

Ex qua exuperante systematis reproductivi infantum tenellorum vitae productivitate simul videre est, quam falsa et erronea eorum medicorum opinio habenda sit, debilitatem organismi infantilis in genere ceu causam proximam vix non omnium morborum infantilium inculpantium, quum nequaquam debilitatem talem, verum statum huic vitio directe oppositum, i. e actionem organicam in systemate reproductivo ultra modum exaltatam complurimarum aegritudinum hujusce hominum generis causam proximam constituere, evictum habeatur; etenim in nulla totius vitae humanae epocha tot et tanta praestare miramur naturam opera in organismo humano, quam in tenera infantum aetate, cujus asserti

veritatem celere corporis incrementum, organismi eorum de die in diem perfectior evolutio, atque energiae et roboris augmentum extra omne dubium ponunt.

Idem etiam testatur accuratior naturae morborum, infantum aetati tenerae per eminentiam familiarium, pensitatio, ad turbatam functionem systematis reproductivi, tubi intestinalis, cutis etc. vix non in plerisque casibus reducendorum.

Ob hanc activitatis organicae in systemate reproductivo emergentem nimiam energiam naturae medicatricis, in morbis debellandis se manifestantia sic dicta molimina critica, loculentissima esse consueverunt, verum eadem ex ipsa causa et facile turbari, et facile e natura denuo promoveri ejusmodi crises, medici observarunt.

Res, medicorum practicorum notatu quam dignissima est magnus ille consensus, et magna sympathia varia inter systemata et organa organismi infantilis, quibus omnino fit, quod affectio systematis aut organi unius, aliam in alio systemate aut organo lege antagonismi aut consensus vel necessario provocare debeat; hinc affectiones capitis violentiores secundario modo turbant, functionem tubi intestinalis, et vel maxime ventriculi et hepatis; sic — vice versa — tubo alimentari focum morbi exhibente, affectiones capitis, imo et spasmi et convulsiones provocari, compertum habetur. Quae sub hacce rerum positione affectio sit protopathica, quae deuteropathica in casu concreto evicisse, a medici in arte medendi dexteritate et prudentia omnino dependet.

Summam attentionem a medico clinico in explorandis infantum morbis sibi vindicat: series evolutionum organicarum organismi infantilis, vitae humanae sic dictas epochas constituentium, quarum ingressu nimirum in uno alterove, hucdum imperfecto, et quoad functionem suam quodammodo adhuc dormiente syste-

mate aut organo, vita ipsius aut activitas peculiaris demum evigilat, in omnia reliqua organismi systemata horumque functiones influxum haud non percrebro mirandum exercens. — Sistunt autem hae vitae epochae quodammodo metemorphoses organicas diversimodas, quas organismus infantilis quilibet vel necessario subire debet, priusquam culmen perfectionis suae organicae nactus fuerit, quae, nisi contingerent, organismi destructione terminarentur. Tempore harum evolutionum organicarum, turbae non raro luculentissimae in organismo talium individuorum caput extollunt, tales nimirum, ut quae metum incutere valeant et medico et aegrotantis adstantibus cunctis. Nec tamen ejusmodi turbas semper ad morbos referre licebit, verum ad peculiares vitae formas aut modificationes, locum intermedium morbos inter et sanitatem sibi vindicantes, et tum demum catervae morborum inserendas, siquidem fixos naturae limites adeo transgressae fuerint, ut concentus et harmonia organismi inde auferatur, et sanitas corruat. Obtinent vero hae metamorphoses organicae a nativitatis tempore ad pubertatis epocham usque in uno quolibet individuo juxta definitum typum ea ratione, ut sub ipsissima illarum adparitione unum alterumve systematum cardinalium, reliquos pridem inferius, ceu modo praevalens, dominium suum exerceat in reliqua, ipsi nunc temporis subdita, donec tandem circa annos pubertatis harmonia varia inter systemata haec cardinalia impetrata fuerit.

In qualibet harum — mox singillatim recensendarum — evolutionum organicarum, vitae productivitas vegetativa, saltem modo exaltata deprehenditur, et quidem iis in organis, evolutionis suae periodum modo experientibus; inde etiam facile intelligitur, quare hisce processibus haud non semper nota inflammatoria, aut saltem status irritativus, sanguine in ea organa adfluxu uberiore, illorum tumore, rubore, et calore,

nisu in humorum coagulationem, et pseudoorganisationes, iisdem in organis se manifestans, ceu fidelis comes adhaerere soleat, qui autem status irritativus in neonatis et natu minimis magis characteris lymphatici, quam genuini, inflammatorii notas praesefert, minorem hinc sanguinis educendi copiam, quam potius usum remediorum derivantium, eccoproticorum atque sedantium expostulans.

Tandem quoad memoratas evolutiones organicas infantum et hoc monuisse restat, tempore illarum non modo processum vegetativum, verum etiam receptivitatem atque sensibilitatem organismi ejusmodi individuorum haud parum exaggeratam deprehendi; utut sat levidenses, enormes tamen et stupendos ciere soleant non raro effectus, atque cur morbi pusillorum summe exitiales et vitae periculi pleni, nonnunquam inopinatim in mitissmos transire consueverint. Quae notio medicum in praescribendis agrotantibus hujusmodi pharmacis omnino cautum reddat oportet, quum magis consultum sit, sub dictis rerum circumstantiis spectatorem interdum agere, quam activum et officiosum nimis se praestare, et longe praestantius, indifferentibus, aut mitissimis remediis insistere, quam stimulantibus aut calefacientibus morbum exasperare. — Quae cuncta de variis vitae periodis homuncionum in genere dicta sint, nunc easdem evolutiones organicas speciales etiamsi succincte nonnisi exponere liceat.

E serie harum memoratarum evolutionum organicarum organismi infantilis vix non supremum locum occupat: prima, mediante partus actu posita, infantis respiratio. Post partum ex organismo infantili omni sub respectu ens aliud fieri, dicere fas est; etenim neonato mediante partu in aliud — a priori longe alieno — medium delato, sanguinis sic dicto circulo minori (animalibus perfectioribus competenti) per pulmones absolvendo, possibilitas, imo necessitas ponitur. Neona-

tus pridem in utero matris placentae, ceu solo suo affixus, atque illius liquore, more plantarum, nutritus, opere partus vitam aliam, animalem scilicet vivere auspicatur. Evanescere modo observantur ceu resultata vitae hujus propriae, peculiaria organa in organismo neonati, quorum ope vita ipsius vel necessarie pridem sustentabatur; exsiccantur enim, et in ligamenta condensantur sensim sensimque vasa umbilicalia, coalescit ductus arteriosus Botalli, et ductus venosús Arantii, retrahitur in minus volumen praegrande quondam hepar, et evanescit successu temporis in integrum voluminosa alias glandula thymus. Infans neonatus ab hoc tempore per os nutriri incipit, mundoque expositus influxus rerum externarum experitur, atque in hosce pro virium suarum ratione reagit. Morbis reproductionis variis ob sympathiam magnam et teneram et imperfectam organorum structuram percrebro, et nervosis nec non inflammatoriis (characteris tum temporis magis lymphatici) sub tali rerum statu ansam praeberi, medicorum experientia docet.

Altera, summi momenti evolutionum organicarum est prima infantis dentitio. Ingreditur haec vitae epocha in plerisque parvulis circa sextum, septimumque post partum mensem. Hanc vitae periodum, si adeptus fuerit infans, vita ipsius animalis, antea depressa, nunc ad altiorem energiae gradum evehitur; vitae enim productivitas in evolutionem et perfectionem organorum in variis trunci cavis positorum, pridem vel tota intenta, nunc temporis in efformationem cerebri et organorum sensuum tum ex- tum internorum nec non in illam musculorum extremitatum, voluntati famulantium, maxima ex parte convertitur. Perfectior modo de die in diem organismus infantibus redditur; etenim motus infantis, alias utplurimum automatici, nunc liberi et voluntarii fiunt, imo et mentis evigilantis vestigia sensim se produnt, quum dentiens fari, verbis, nisu, suam vo-

luptatem, desideria, aversationem erga res externas patefacere, atque cognatos cognoscere observatur. Vitae productivitas quidem et hucdum magna, minus tamen in organa reproductionis quam potius in evolutionem et perfectionem systematis tum irritabilis, tum sensibilis impenditur; inde proclivitas magna pusionum hujus aetatis ad inflammationes cerebri, viarum aërearum, characteris vero magis activi, sthenici, et vel maxime ad motus nervosos, anomalos, spasmos, convulsiones formae variae. Si quae tamen caput extollant in systemate reproductivo morborum symptomata, tum haec ad uberiorem salivae affluxum in ore, diarrhoeam et vomitum etc. utplurimum restringere oportet, tanquam phaenomena, benignum in scopum sat crebro a natura provocata, proinde in plerisque casibus a medico colenda, et vix unquam tumultuario modo compescenda.

Destructos hosce dentes primos, seu lacteos, natura protrusione dentium altera, sic dictorum permanentium, circa annum sextum septimumve sese insinuante resarcire consuevit, vix non in plerisque casibus sat placide, taciteque absolvi solita, atque ad pubertatis usque epocham fere excurrente.

Tertia denique, et ultima momentosa vitae organismorum epocha, est tempus pubertatis ipsorum, quam, si individuum nactum fuerit, tum ex infante, ut ita dicam, homo fit. Designatur haec vitae epocha exuberante vitae productivitate, in evolutionem et perfectionem organorum genitalium sexus utriusque directa, efflorescente nimirum barba, et secretione liquoris nobilissimi, ad procreandos proles destinati, in juvene, mare, atque evolutione mammarum et fluxu sanguineo periodice revertente, in sexu sequiori, quod quidem evenire solet, — in nostro saltem climate — circa annum decimum sextum in maribus, et decimum quartum in femellis. Cum hac vitae epocha in genere perfecta obtinet in

individuo humano cerebri et facultatum spiritualium evolutio, fitque tali ratione transitus vitae animalis ad vitam veram, stricte humanam seu intellectualem. Nunc demum temporis vitae humanae concentus et harmonia cardinalia inter systemata organismi impetratur, quum praevalens antea reproductio finita hac ultima dictorum organorum efformatione, ad omne vitae tempus regrediatur, principatum suum in systema irritabile et sensibile transferendo: hinc etiam nunc demum organismus humanus perfectus dici potest. Antequam vero tale aequilibrium memorata inter systemata restitutum fuerit, turbae nonnunquam insignes in systemate tum irritabili tum sensibili emergunt, ex consensu inter genitalia et organa pectoris facile derivandae, atque ad inflammationes pulmonum, horum haemorrhagias, metrorrhagias etc. potissimum restringendae.

Modus, cum infantibus aegrotantibus conversandi. *(Savoir faire.)*

Praeter exactissimam organismi infantilis notionem tum anatomico-physiologicam, tum pathologicam omnium, vel maxime ceu una summa essentialium conditionum, statum morbosum tenellorum infantum probe expiscandi medicus opus habet, quadam peculiari, cum hocce hominum genere conversandi ratione, horum nimirum aetati, cogitandi, agendi, rerumque externarum, sub quibus illi vitam ducunt modo, ex asse respondente, mediante qua morbo mulctatus parvulus in lecto adstantem medicum non modo non reluctatur, verum vel ultro et lubens ex intimo corde cum summa et plenaria confidentia, illius arbitrio se quasi offert, seque totum quodammodo ipsi tradit. Gallis hanc medici exoptatam, ad scopum sanationis consequendam pernecessariam dotem nomine: Savoir-faire insignire placuit, quam denominationem etiam ea ex

causa retinendam esse duxi, quod testante S. G. Vogl alia aptior vox vel penitus desideretur.

Verum quidem est, hanc facultatem, benevolentiam, animumque tenellorum infantum captandi, uniuscujuslibet medici, utut in arte sua versatissimi, attributum esse non posse, quum illa e serie qualitatum plurimorum individualium, tum corpus, tum mentem illius spectantium tanquam resultatum emergat; ex quibus itidem videre est, cur inclitus caeterum medicus, ceu bonus et felix insimul, relate ad infantes perquam rare inclarescat.

Nihilominus tamen medici unius cujusvis, vitae conditio, quam profitetur, grave ipsi imponit officium studendi, ut talium etiam attributorum aut virtutum compos fiat, quibus ipsi additus paratur ad intuenda et vincenda phaenomena, in imo organismo tenellorum recondita. Quod quidem efficitur modo peculiari, cum tenellis conversandi, atque addiscitur multa et annosa experientia.

Complexum talium praeceptorum invenimus in classica illa tractatiuncula, de eodem ipso themate agente, atque a celeb. Fenner a Fenneberg in lucem edita, quam, cum ad nostrum scopum vel maxime conferat, succinctius quidpiam, hinc inde tamen verbotenus fere e vernacula in latinam linguam translatam hic loci inserere licentia detur.

Prima, quam vir celeb. ab infantum medico clinico ad captandam illorum benevolentiam conditio exposcit, haec est: quod medicum talem ipsum infantum amantissimum, illorumque fautorem esse oporteat, i. e. medico comercium tale cum infantibus oblectamento esse, ille parvulos sincere, et ex imo corde amare, atque ipsam eorum loquelam solerti et attenta cum illis conversatione callere debet; quare etiam haud raro occasio se ipsi offeret, qua in gremio pusillorum, ut ita dicam, ceu infans cum petulantibus

petulari, et cum pueris puerilia tractare ipsum pudere non debet; tali enim ratione vel sola, eo perducitur infans, ut fautorem suum et benefactorem brevi cognoscat, modoque facili et confidentiali se ei tradat, a quo se amatum esse intelligit, huncque amorem reciproca quadam obedientia et fiducia compensare soleat.

Quum medicorum practicorum in genere virtus insignis in patientia illorum relate ad aegrotantes reponenda sit; in examine et cura tenellorum infantum a medico per eminentiam eadem ipsa haec virtus in usum vocanda erit, mediante qua vel unice homuncionum horum animi dispositioni perversae, malignae, morosae, modo se gerendi inhonesto, indecoro, et millenis vitiis aliis cum educatione aegrotantium, et cum hac vitae epocha vel necessario nexis, animi sui laudabili indulgentia et benignitate tolerandis par erit.

Adjuvant vero medicum non parum in lucranda parvulorum confidentia, horumque reciproca propensione gradus et modus aestimationis (venerationis), quo aegrotantis tenelli parentes aut affines in genere frequentantem medicum prosequi, et qualenam judicium de eo, absente, tum relate ad artis ejus dexteritatem, tum relate ad ipsius characterem moralem, ferre consueverint; qualis enim sententia parentum de hisce, talis ipsa est illa infantis; hacque ratione transire vix non semper parentum judicia, praejudicia, laudem, amorem, odiumque respectu hominum qualiumcunque in ipsos proles, experientia comprobatum habetur, quae etiam medico viam securissimam monstrant, explorandi et resciendi, qua forsitan ipsemet fama in hac familia fruatur. — Ex quibus pro medico ea resultat probe observanda prudentiae lex: initum inter parentes aliosque prolis affines amoris et amicitiae vinculum, quantum id dignitas et prudentia suadet, vicissim servasse, eum nimirum in finem, ut etiam infans, si quando fors,

morbo correptus fuerit, eodem itidem sociali amore et confidentia in medicum feratur, quo familiares suos in illum refugisse toties observaverat.

Adminiculum aliud haud non efficacissimum ad captandos parvulorum animos, atque idcirco a medico crebrius in usum vocandum, in eo consistit, ut medicus studeat rebus, sensus tenellorum externos vel apprime afficientibus, lusoriis, cibariis, inopinatim offerendis, animum illorum vincendi, quae methodus longe plus emolumenti medico praebet, quam tentatae mentis persuasiones et preces urgentissimae.

Alias amicum sibi reddet parvulum medicus, insigni sua, doli non experte submissione, siquidem lusus, qui illi solet esse exoptatissimus, participem se esse conetur, hominemque imperitum talium rerum simulando, eruditionem ab ipso tenello expetat; in genere innumeris aliis procedendi modis atque confabulationibus, utcunque puerilibus, pusillo grata mentis distractio procuratur, et medicum sub hoc rerum statu rem habere cum infantibus, atque cum talibus talia esse tractanda, meminisse juvabit.

Dantur vero etiam parvulorum nonnulli, quorum benevolentia vix ullo fere modo acquiri potest: causae hujus renisus et diffidentiae subesse solent bifariae: vel enim medicus in tractamine nupero horum pusillorum ad talia remedia administranda confugere debuit, quae applicata dolorifica, aut gustui ingrata natura sua esse solent, in quibus itaque usurpandis infans omnino promptus raro observabitur, idque eo minus, si fors stulti parentes aut parabolanae medicum ceu virum malevolum, et causam unicam harum acerbitatum inculpant, eique maledicunt, et, proxime venturum, ideo abigendum infantibus pollicentur. — Vel raro medicus in nuper datis tenello promissis, perfidum se exhibuit, infantem decepturus modo non satis astuto, quum tamen illum rescire oporteat, esse infantes — una cum

foeminis — observatores acuratissimos, et datae perfidae censores strenuissimos. Sub hac implacabili animi infantilis conditione, administrandorum remediorum necessitate insimul urgente, expedit, ut medicus, hominis indifferentia partes quodammodo agens, exsequendam supellectilem medicamentosam alii individuo familiarium, pusillo ceterum caro, committat.

Medicamentorum selectum, formam, saporem, illaque administrandi modum quod attinet, medicus obstacula, et difficultates diversimodas sub doloso utplurimum modo superare calleat, necesse est, atque prima ad lectum aegrotantium pusillorum a medico — quoad haec — observanda regula haec est: quod medicus in dispensandis pharmacis parcus sit, oporteat, bene memor, a minutulis etiam stimulis tum internis tum externis mediante nimia, tenellis competente irritabilitate, turbas excitari posse quam gravissimas, simplicissimo sat saepe medicamentorum adparatu denuo sedandus; quare etiam in complurimis infantum morbis medici sapientia et ars haud non summa in eo versatur, ad illas compescendas vel parum vel plane nil fecisse, et methodo sedanti, exspectativae in genere indulsisse. Exinde etiam videre est, cur parcae medicamentorum doses magnos et stupendos non raro provocare visae sint effectus, et quare nonnisi per longiora temporis intervalla pharmaca infantibus propinari consultum sit, quippe effectus illorum est patienter exspectandus, et natura teneri organismi iisdem nequaquam obruenda.

Respectu medicaminum, interno usui dicandorum, medicus meminerit: illa — in genere — gulae parvulorum blandiri, ideoque dulcedine excellere debere; praeplacet ergo forma linctuum, syruporum aut multo saccharo edulcoratorum pulverum, haud non miranda sagacitate aut astutia subinde adplicandorum. Indulgere laudi vel ambitioni nonnullorum talius infantum, interdum prodest; si secus: methodo iterum subdolosa

medicus scopum attingere meditetur, quod fit, medicamenta potui, cibis, coquendis, assandis, aut condimentis variis, aut pastis, aut mellitis etc. callide admiscendo, probe vero pensitando, num tali pacto quaepiam, et qualis medicamentorum decompositio aut effectuum illius alienatio inde pertimescenda sit, nec ne.

Absit vero ad domandos obstinaces et rebelles aegrotantes pusillos omnis violenta actio, eosque ad usurpanda medicamina cogendi, vincendique nisus, iis tamen casibus exceptis, ubi pertinax et malevola mens omnes reliquos mitiores conatus, pacandi pusilllum, irritos fecit; tali enim nimis severo imperio plus damni quam boni in aegrotantibus ejusmodi conciliari, experientia docet, cum non desint casus, deplorabiles, talium reluctantium, ubi ex indomando, ineffreni illorum erga porrigentes et porrigenda renisu, malo longe graviori oriundo ansa est data, quam fuerat illud, quod prius oppugnandum fuerat malum; etenim non raro sub violento ad manus tenelli rebellis vincendas conatu, oris illius divulsione, medicamentorum violenta infusione, dirissimae exoriri visae sunt convulsiones aegrotantis, toties recidivantes, quoties nuper domitus pusillus quempiam talium, barbarum manum illius corpusculo olim applicantium, contemplatus fuerit.

Ob quam exorbitantem organismi infantilis irritabilitatem, medicus familiaris ceu amicus, necessitate inducitur, unum alterumve officiorum chyrurgicorum aut servorum, propria interdum manu praestare, quorsum spectant: incisio abscessuum, applicatio vesicantium, hirudinum, clysterum, illinitionum etc. — A nihilo autem tractaminis therapeutici — utpote aliquomodo jam rationis compos — aegrotans tenellus magis abhorret, quam, quae subinde urget, a chirurgica quadam perficienda operatione, ideo, quod in hoc opere nonnisi violenti et dolorifici quidpiam conspicere suspicetur, quod, si itaque instituendum est, a medici manu —

idque praecipue, si hic ruri medicinam facit — instituatur oportet, quum hujusce viri agendi rationi infans longe minus obversetur, illius nimirum individualitatis, procedendi modi, morum comitatis, ex praegressis jam bene gnarus, eique jam jam assuetus.

Monendum praeterea est, medicum singularem attentionem suam, relate ad aegrotantem ipsum (apprime educationis bonae et aetatis nonnihil provectioris), tum relate ad morbum, qui illum decumbere facit, manifestare debere, quae si negligatur, ab aegrotante non raro acerbe fertur. Cui voto satisfacere valet medicus, crebriore decumbentis frequentatione, solerti et scrupulosa omnium momentorum, cum morbo in nexu coëxistentium, exploratione et pensitatione, atque modo, gradui evolutionis et rationis individui aegrotantis omnino respondente, nec non, si medicus, de mali natura animo quam benevolentissimo participare, et lecto affixum parvulum spe recuperandae pristinae valetudinis consolari probe sciverit.

Quam attentionem insignem in tale aegrotans individuum medicus, et ob ipsos illius parentes, tot tantisque angustiis curisque, quoad decumbentem pusillum, ipsis omnibus rebus longe dilectissimum, oppressos, patefaciat necesse est, praesertim si perpenderit, parentes sub tali rerum statu in accersito medico virum et benefactorem summum atque amicum fidelissimum, et vix non unicum amantissimi sui parvuli salvatorem conspicere; quare etiam humanitas medico suadet, non sine summa necessitate consternatum adeo parentum animum prolixiore morbi praesentis expositione magis adhuc excruciare, imprimis si tale quid honoris quodammodo gratia agere contendat, ita, ut, quando nimirum infans nihilominus orci faucibus ereptus esset, se patrem illius fuisse, impudens gloriari possit. — Quodsi vero morbi statum reapse ominosum, et conclamatum cognoverit medicus, parentibus periculum tale revelandi

nonnisi in absentia deplorandi pusilli ratio suadet, nullum enim ens, vita praeditum, neque animalculo excepto, sine lucta, aut lubens animam efflare solet!

Ante omnia etiam medico curae sit, ne infans orbetur consueto suo humano, blandoque servitio, quod ipsi praestare melius et lubentius mortalium vix ullus valet, nisi mater, aut — mitis, humana, et materno ut ita dicam amore imbuta — nutrix; vix enim non barbariem animi proderat parens illa, quae a fungendo tali officio se abdicare vellet, animo illius tam naturali et caro, et quae vel plurimi levaminis misero adferre, ejusque dolores vere et optime sopire valet ideo, quod infans bene noverit, quod manus matris sint, quae ipsum portent, et verba matris percipiat, omnibus reliquis ipsis dulcissima, et oculos matris conspiciat, in ipsius salutem vigilantes atque nunquam et nusquam obdormiscentes. — Absit itaque monitu medici a lectulo aegrotantis, quantum id fieri potest, omne genus custodum, mercenariorum, ceu hominum, quorum agendi et dicendi rationi fides haberi nunquam potest, altera vero ex parte medicus suasu et adhortatu suo lamentum illum non raro nefandum, nimiumque lacrimarum fluxum lugentis matris coërcere studeat, quibus haec pusilli carissimi cruciatus non modo non sublevare, verum potius sufflamminare, luctamque illam supremam ipsi nonnisi acerbiorem reddere valet.

Habitum, modumque ipsum conversandi medici infantilis quod attinet, hunc affabilem, moribus comem, artis suae peritiae cum nimie et fors superbe confidentem, loquendi genere suavem, et non durum esse decet, atque quod ejus amictum concernit, vestimentis abstineat, sensus externos tenellorum aeque vehementius, et insolenti modo afficientibus. Quas conditiones a medico infantum clinico probe respiciendas, ceu res superfluas, hic loci commemoratas, ne quis opinetur velim, ipse enim autor hujusce tractatiunculae exem-

plum enarrat, de familia quapiam, cujus infantes ad spasmodicas affectiones ceteroquin dispositi, toties convelli visi sunt, quoties medicus cubile eorum ingressus fuerit. Causa mox inclaruit: usus enim est idem hic medicus vestimento coloris coccinei, et loquendi genere aeque duriore. Ablata — modo utique decoro — fatalis hujusce epigenomeni causa, siluit itidem illius effectus.

Tandem etiam medicus sibi persuadeat, necesse est, ut cunctis in sanationis ab ipso datis praeceptis, quam religiosissime obtemperetur, atque, si ipsi dubium superesset, num iisdem mandatis obediatur: tum eo attentionem, severioremque, atque in frequentando pusillo eo frequentiorem eum esse oportet, ita quidem, ut ipsa statuta hora, qua unum alterumve medicamen non indifferens in usum trahi jussum est, ipsummet praesentem esse non taedeat, quod vel apprime dictum esto de adaequata, servientibus serio exposita, decumbenti concedenda diaeta, et congruo vitae regimine, cujus consilii medici praetermissio effectus summe deleterios, imo lethiferos ceu sequelas habere potest; multo enim satius est, medicum de justo majori ad lectum aegrotantium manifestata severitate criminari, quam ipsum de aeque majori levitate aut facilitate culpari, qui error postremus nec aegro nec medico unquam conducere potest.

Methodus, examen infantum agrotantium — in genere — **instituendi.**

Methodus, statum morbosum e tenellis infantibus eruendi, in genere alia esse debet, quam quae medicis in examine aegrorum adultorum usu venire solet; talem enim examinandi modum peculiarem, relationibus utpote individualibus aegrotantium hujus generis omni sub respectu respondentem, adhiberi jubent: or-

ganismi infantilis peculiaritates variae, in antecedentibus expositae, loquelae defectus, imo et homuncionum talium, a doloribus quibuscunque intensioribus, imo dirissimis, animi obrutio, eorum status debilitatis, adstantium, atque de reddenda ratione ortus praesentis mali pusionis, a medico consultorum, ignorantia aut stultitia, quae cuncta contribuunt, quominus solemnem examinandi methodum etiam ad tenellos decumbentes applicare liceat. — Monere superfluum esset, in examine horum infirmorum querelis et relationibus ipsorum propriis fidem plenariam haberi non posse, ideo, quod parvuli istiusmodi, qua tales, singulas corporis sui partes nec distinguere adhuc, nec verbis concinnis insignire, subinde nec quaestionum quamlibet bene hucdum intelligere valeant.

Alia proinde a medico ineunda est via, statum morbi in hocce hominum genere extricandi, et haec consistit in scrupulosa et accuratissima omnium phaenomenorum in decumbentis tenelli organismo obviorum, atque sensibus medici perceptibilium, instituenda exploratione, collectione, ad causas, iis respondentes, reductione et cum aliunde compertis comparatione.

Medicus, quam primum ad lecto adfixum pusillum accersitus fuerit, in ea potissimum phaenomena morbosa mentem convertat oportet, quae vel ipsi, ceu rei perito, ominosissima adparent, aut quae fors a decumbente parvulo ipso, loquelae perito, aut ab illi adstantibus propinquis qua talia recensentur. Hoc enim modo, medicus vel aliquae quoad topicam saltem affectionem aut characterem genericum mali praesentis capiendae ideae capax redditur.

Canon practicus est, a medico, tenellis opem ferente, nunquam negligendus, hanc explorationem phaenomenorum aut symptomatum, in penitus denudato, morbo tentati tenelli, corpusculo, atque in tota ipsius superficie, et quidem tum visus, tum tactus ope insti-

tui debere, sub qua corporis — ordine anatomico — instituenda rigorosa lustratione medicus examinat omnium primo conditionem capitis, tum internam tum externam, descendendo ad illam colli, pectoris, abdominis, extremitatum, et apprime excretorum, habito semper respectu aetatis seu vitae epochae, in qua tenellus versatur, illius constitutionis, aëris atmosphaerici conditionis variae, epidemicae, annuae etc. munditiei stragulorum, vestitus, loci et aëris cubilis, in quo decumbens degit, morborum praegressorum, nec non ipsarum rerum externarum, ipsum ámbientium. In aegrotantibus, seriorem vitae epocham adeptis, (praeter aetatem, sexum, et constitutionem) semper in computum trahenda sunt: temperamentum, facultates animi, harumque cultura, consuetudinum lex, idiosyncrasiae, dispositio haereditaria et congenita, morbi itidem praegressi, vitae conditio seu opificium, relationes domesticae, atque religio.

Reliqua, utut levidensia saepe, ad diagnosim veram et justam statuendam non raro perquam necessaria et plurimum lucis effundentia momenta i. e. causas occasionales, et integrum sic dictum statum anamnesticum, atque mali praesentis decursum ad hocce usque temporis momentum, quo lecto aegrotantis tenelli accedit, una cum remediis, hucdum in usum tractis, domesticis, officinalibus, externis, internis, medicus ex parentibus, nutricibus, aliisque decumbenti pusillo adstantibus eum in finem expiscari studeat, ut quae sensibus ejus ceu perscrutatoris effugerint, aut falsa subrepserint, illius autopsia collectis phaenomenis, relatione et combinatione effatorum aegrotantis familiarium, corrigi, castigari queant, atque ut vera et perfecta morbi historia evincatur. Nec tamen semper relationibus hujusmodi affinium omnem fidem habere licet; hinc a medico bene deliberandum est: num asserta illorum respondeant propriis suis institutis observationi-

bus, sin minus, atque in quibusnam deflectant ab hisce aut concordent cum iis.

Caeterum haec investigatio status morbosi in tenellis infantibus tam callido et astuto modo instituatur, necesse est, ut a decumbente ipso, mentis vel aliquomodo compote, nec suspicio moveri queat, rem de ipsius organismo agi; quare etiam mentis ipsius attentio pro possibili modo ad objecta externa, ipsi grata convertenda, distrahenda est. Interdum et ipsos parentes aut affines alios lecto aegrotantis semovere juvabit.

Quaestiones, quas B o e r ad lectum tenellorum infantum — seu generalissimas — proponere consuevit, potissimum circa haec versantur: Cujus aetatis sit infans? Num a sanis parentibus natus fuerit? Num mater illius tempore graviditatis sana fuerit? Qualis fuerit partus? Num parentes pusilli et hucdum vita gaudeant, an vero e vita jam decesserint, et quonam morbo defuncti? Num infans lacte materno, an vero illo nutricis, aut modo artificiali nutritus fuerit? In casu ultimo expiscandum: quorum ciborum genere tenellus vesci sōluerit? Qualis sit sommi et digestionis illius conditio? Num infans sat crebro e somno expergefieri, pavescere, dentibus stridere, multum, parumve dormire observetur? Num in ipso, consueta illa tenellis tranquillitas et hilaritas, an vero — e contra — inquies, plus minusve magna se prodat? Num decumbens multum clamet? Motus automaticos versus caput, os, tracheam, abdomen exercere videatur? Num — vinculis liberatus — crura attrahere libentissime soleat? Num spasmis aut convulsionibus pridem obnoxius fuerit, et qualesnam hi fuerint? Num vermibus laboret? Num dentes jam proruperint, facile aut aegre? Quandonam morbus praesens exordium ceperit, quibusnam cum symptomatibus, qui illius decursus ad tempus usque praesens, et quaenam illi debellando opposita fuerit Therapia, et quonam cum successu.

Competit tandem, ut medicus, quae ad morbum faciant, atque de quibus modo certior est factus momenta cuncta, in quemdam quodammodo scientificum ordinem redacta, brevi, et succincta narratione — seu morbi praesentis historiam — parentibus aut adstantibus aliis in mentem denuo revocet, atque exponat, qui mos admodum laudabilis est, relate ad medicum ipsum; etenim parentes, praesentesque quicunque alii hancce ipsissimam ob consuetudinem majori fiducia ferri solent in medicum talem, siquidem aegritudinis, qua vexatur tenellus, tanta patientia et solertia exploratae, exordium, causas et decursum quasi ante oculos posita, contemplentur; vir enim — ita ratiociantur vix non omnes adstantes — qui tanta cum sedulitate, patientia, et mentis intentione perversae pusionis valetudinis statum perscrutari non abhorruit, etiam de malo, quocunque rem habet, sollicitus erit, quantotius auferendo.

Theses defendendae.

I.

In partu ancipiti valet: Parce tamen matri, proli ni parcere possis.

II.

Non datur herniae incarceratio spasmodica.

III.

Absurdissima est idea, aquam omnem therapiae paginam absolvere.

IV.

Medicinae studium e solis libris, vanum.

V.

Mit einem Hypochonder zusammen zu leben, bringt nicht nur Langeweile, sondern auch Gefahr.

Romberg.

VI.

Aquae minerales, aquas artificiales superabunt, quousque natura arte superior erit.

VII.

Synchondrotomia e campo artis obstetriciae radicitus est evellenda.

VIII.

Educatio moderna juventutis uberrimus morborum, praecipue nevrosium fons.

IX.

Medicus laudatus a profanis non ridebit, vituperatus non flebit.

X.

Non omne ulcus in pudendis, etiamsi primo intuitu imaginem syphilitici praesefert, cum mercurio est tractandum.

XI.

Doctrina de diebus criticis nunc temporis pro medico practico non tantae est utilitatis uti quondam fuerat.

XII.

Obstructis et haemorrhoidariis herbae nicotianae fumigatio consentanea.

XIII.

Herzkrankheiten spielen bei Verbrechen in gerichtlich-medicinischer Hinsicht eine sehr wesentliche Rolle.